IVSTA QVERELA

Contra

4

INJVSTAM ET INFAMEM

TRADVCTIONEM

UNIVERSITATIS TREVIRENSIS

Typis vulgatam

Sub ficto Nomine

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

AVGVSTINI LEBLANC

In Libro qui inſcribitur

Hiſtoria Congregationum de auxiliis Divinæ Gratiæ

Depoſita

In Congregatione ejuſdem Vniverſitatis

A

PRÆNOBILI, CLARISSIMO, CONSULTISSIMOQUE VIRO AC DOMINO

D. CAROLO CASPARO METZEN

J. U. D.

Et Syndico ejuſdem Univerſitatis.

Die 16. Novembris in loco Congregationis conſueto apud PP. Prædicatores.

QUERELA
CONTRA AUTHOREM
Hiſtoriæ Congregationum de auxiliis.

EDita nuper in lucem eſt luce indigna *Hiſtoria Congregationum de auxiliis Divinæ gratiæ* Authore Anonymo, qui Ater, an albus homo ſit incertum eſt. Si nomen quod adſcititium eſſe conſtat, inſpicias, *album* diceres, ſi genium hominis & ſcribendi modum, atrum eſſe cùm multa liquidò convincunt, tùm illud maximè, quod auſus ſit Celeberrimas Antiquiſſimaſque Germaniæ

maniæ Academias ipſamque adeo inclytam Nationem convitiis proſcindere, Comicam illam ſententiam non omninò jocularem, apprime doctus, *qui ſemel verecundiæ limites tranſgreſſus ſit, eum naviter oportere eſſe impudentem.*

Ut in Compendium impudentiſſimi hominis ſcomata conferamus, tria potiſſimum in dictis Academiis ſugillat. I. *Obſcuri nominis eſſe.* II. *In iis non triduo, ut de cauſarum patronis ajebat Tullius, ſed uno mane Doctores Theologos fabricari.* III. *Leve ac elumbe de orta quadam Lovanii Anno 1588. Controverſia judicium eas tuliſſe.* Quo animo hæc aliæ Academiæ Theonino hoc dente nominatim laceratæ laturæ ſint, tempus dabit. Fortè putidum illud Opus, tanquam *infamem Librum*

Lib. 1. c. 3 Col. 7.

brum legum adminiculo flammis dignum eſſe cenſebunt, ut vel hoc facto earum obſcuritas apud poſteros inclareſcat Nobis quidem Trevirenſibus ut ſpartam noſtram tueamur manifeſtæ Tenebrionem illum falſitatis convincere haud eſt operoſum. Nam quod *Obſcuritatem Nominis* objicit, in clariſſima luce cœcutire ſe probat, quam Flavius Criſpus Conſtantini Magni Filius, quam Gratianus & Valentinianus II Imperatores ſuis ſtudiis datiſque Privilegiis, quam Lactantius Firmianus Criſpi Magiſter, Eumenius Æduus, Claudius Mamertinus Clariſſimi Rhetores ſuâ eloquentiâ, quam Medici, Philoſophi, Poëtæ innumeri ſuâ eruditione, quam Theologi interque hos, qui multorum inſtar eſſe po-

Vide ſilvam Academicam de antiquit. Academiæ Trevirenſis Authore Iacobo Meelbaum.

teſt, Divus Hieronymus, pro qua-
les quantique Viri! ſuâ ſapientiâ,
doctrinâ, ſanctitate vetuſtiſſimæ
huic Academiæ dederunt. Non is
fateor hodiedum illi ſplendor eſt,
qui olim fuit, dum hæc Urbs Ro-
manorum Imperatorum Sedes eſ-
ſet. Verùm, *damnoſa quid non im-
minuit dies?* Communem rerum
mortalium ſortem experti ſumus,
non tamen, ne poſt tot bellorum
calamitates quidem, eò prolapſi, ut
Obſcuritatem Nominis Lavernio
iſte Nobis exprobrare queat. Ma-
gnarum quippe rerum etiam illu-
ſtres ruinæ ſunt.

Nec plus firmitatis habet alterum
calumniæ Caput, cujus duplex eſſe
ſenſus cùm poſſit, vel putat Cavilla-
tor ille omnia doctrinæ experimen-
ta uno die apud Nos fieri, vel præ-

miſ-

miſſis conſuetisExaminibus acDi-
ſputationibus conferendæ benè
meritis Theologicæ Laureæ ritus
uno die abſolvi. quocunque ſe ver-
terit, implicatus tenebitur. Si pri-
mum vult, mendacii manifeſtus eſt.
Nam ſecundùm Statuta Sacræ Fa-
cultatis Theologicæ, quæ hîc ac-
curatè ſervantur Tit. 5. præcipitur
ut antequam Gradum etiam ad
Baccalaureatum, ut vocant, quis
faciat, rigidum Examen ſubeat, in
quo ex aliqua D. Thomæ parte à
quatuor Doctoribus Quæſtiones
Candidato proponuntur. Quo-
rum ſuffragio ſi dignus judicatus
fuerit, qui publicè Theſes propu-
gnet, eas ex aliqua D. Thomæ par-
te depromptas duabus integris ho-
ris propugnare debet, unde à Do-
ctoribus Sacram Facultatem re-

gentibus judicium fertur, an admitti ad Gradum debeat. Itidem præcipitur, ut nemo ad primum Examen admittatur qui in diſputando exercitatus non fuerit. In iiſdem Statutis Tit 7. mandatur ut Baccalaureus jam formatus ſi ad Gradum Licentiæ promoveri deſideret priùs duabus minimùm horis ex omnibus Theologiæ partibus examinetur quàm ad publicam defenſionem admittatur. Ibidem §. 3. præceptum eſt, ut quicunque ad Gradum Licentiæ aſpirat, non ante à Doctoribus admittatur quàm finito Theologici ſtudii ſaltem quadriennio, Theſes ex univerſa Theologiâ Numero 51. & quidem ſine Præſide, publicè propugnaverit. Quæ Diſputatio duabus integris horis ante, duabus item à me-

meridie durare conſuevit. Addito ſemper in Theſibus Typo mandatis, ejus, qui Gradum facturus eſt, Nomine, itemque Diſputationis habitæ loco, die, & horis Eat nunc Sycophanta noſter & uno die fabricari Doctores mentiatur. Dicam ego veriùs cum Pauli Æmilii coquum imitari, qui uti ex uno apro ſexcenta fercula confecit, ita & illum ex uno cerebello ſexcenta mendacia fabricare. Quod ſi verò ad ſecundum, quod ſuprà innuimus, diverticulum confugit, & hic tenetur. Quid enim? an omnes ille Blatero Orbis Academias obſcuritatis coarguet, quòd ejuſmodi ſolennes Ritus imponendæ Laureæ adhiberi ſolitos paucis horis abſolvant? Magnus profectò Hercules, cui fabricando in-

grum, ni ſallor, trinoctium Jupiter impendit.

Ad tertium quod Trevirenſis Academia cum aliis leve & elumbe judicium in Controverſia Lovanienſi tulerit, tam facilis eſt reſponſio, quàm levis ejus Author calumniæ: Leve enim & elumbe vocat *quod proſcriptarum à Lovanienſibus propoſitionum numerum ignorârint, cum enim eſſent numero 34. ſex illos duntaxat adnumerâſſe.* Nunquid hoc eſt reduviam curare, ubi capiti medendum eſt? ſex tantùm Propoſitiones Cenſurâ notandas ſibi Germanicæ Academiæ delegerant, in quibus rei cardo vertebatur: Reliquas quod ad rem non eſſent, ſilentio prætermisêre. Ideóne earum judicium leve, elumbe, volaticum fuit? *O Medici huic me-*

diam

diam pertundite venam. Sed objicit judicium illud nullis planè Conciliorum, Scripturarum, Patrum Teſtimoniis, nullo rationis Theologicæ momento firmatum fuiſſe. O hominem ſolo tantùm nomine *candidum* cætera nigerrimum! Nequiter enim cauſam abſcondit, cur Facultas theologica Trevirenſis nudum duntaxat judicium in re nota tulerit, nullis additis rationibus. Nolebat nimirum dicta Facultas actum agere, quòd PP. Lovanienſes, quorum cauſam defendendam ſuſceperat, novi nihil protuliſſent, quod non aliis in locis, etiam Romæ, coràm ipſo, ad quem potiſſimùm Cenſuræ ejuſmodi pertinent, Pontifice doceretur. Uti conſtat ex Actis Facultatis theologicæ trevirenſis 1588. Hinc

ap-

apparet quàm elumbia, quàm vo-
latica ſint Germanorum judicia,
quæ Romam pernici Volatu audent
contendere, ut Summi Pontificis
arbitrio ſeſe ſubmittant. Quò ſi
Hiſtoria Veſpertilionis illius appu-
lerit, aut lumbifragium opinor fe-
ret, ſi quidem lumbos habet, aut
lumbifragio aliquid pejus. Quod
demum addit lib. 2. c. 4. col. 186.
Societatem in Belgio Germanica-
rum Academiarum *judicium extor-
ſiſſe non ſine numerata pecuniæ ſuſpi-
cione*, tam futile eſt, ut confutatione
non egeat.

Atque hæc ſunt præcipua ju-
ſtiſſimarum querelarum capi-
ta, quas pro munere meo contra
Authorem Anonymum Hiſtoriæ
Congregationum &c. in hoc Aca-
demico Conſeſſu publicè depono,
ſimi-

ſimulque Librum offero ſcomatis, calumniis, mendaciis plěniſſimum, Almæ hujus Univerſitatis judicio relinquens quam cenſuram pœnámve mereatur.

HAc à me infraſcripto de-poſitâ querelâ legi ex Libro ſupra memorato, calumnias, quas Author Hiſtoriæ Congregationum contra noſtram aliaſque Germaniæ Univerſitates ſuo Libro inſeruit ex lib 1. c. 3. col. 17. *Academias Trevirenſem & Moguntinam concitârunt in ſuæ doctrinæ qualecunque præſidium, obſcuri certè nominis Academias, in quibus non triduo, ut de cauſarum Patronis ajebat Tullius ſed uno mane Doctores Theologi fabricantur: quam leve, quam elumbe de orta Lovanii controverſia judicium tulerint vel ex uno capite ſatis liquet, quod; illud nullo planè Scripturarum, Conciliorum, Patrum, rationiſque Theologicæ momento firmaverint.* Col. 18. *Deſpectis illis contemptiſque volaticis Ger-*

Germanorum judiciis. Col. 186. *Variarum obſcuri nominis Academiarum (in quibus & ipſi tunc maximè dominabantur) Ingolſtadienſis ſcilicet, Graecenſis, Dilinganae, Wurceburgenſis, Moguntinae, Muſſipontanae, Trevirenſis & Viennenſis ſubſcriptiones extorſerunt, privatâ quidem induſtriâ, nec ſine numeratae pecuniae ſuſpicione.* His lectis à ſingulis Congregatis in concilio Univerſitatis lata ſunt ſuffragia & unanimi aſſenſu, decretum fuit, ut per litteras aliarum Univerſitatum ſententia exquireretur; quid in hac cauſa, quae communis eſt Univerſitatibus Germaniae egiſſent, vel agere vellent? interim dum de opportuno remedio cogitaretur; haec quae acta eſſent typis mandarentur, ut tantò commodiùs aliis Univerſitatibus

communicari poſſent. Actum in loco Congregationis Univerſitatis conſueto apud PP. Prædicatores die 16. Novembris 1700.

Ita teſtor

Carolus Caſparus Metzen
J. U. D.
Syndicus Univerſitatis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE